Dei, ut eiusdem se Ancillam appellaret, et quod maius
est, illa quae erat Mater Dei, Mater peccatorum haberi,
imò et esse vellet, quae (inquam Mater Dei) id est Mater
omnis Sanctitatis, Mater puritatis, Mater virtutis, Mater
mansuetudinis, et charitatis, illa, inquam, titulum habere
voluit, Matris peccatorum, Matris impudicorum, ut eos
suorum charismatum rore ablueret, Matris (admiramini
immensam hanc, et incredibilem humilitatem) sceleratorum,
Matris furentium, Matris desperantium: et quis audivit
aut maiora, aut si non audivit maiora, quis audivit
aequalia, reginam fuisse, quae nullum regere appeteret;
Imperatricem, quae nulli imperaret; Matrem, quae se ancillam
esse decantaret: quis audivit reginam sprevisse sceptra;
Imperatricem imperia repudiasse? matrem famulasse?
reginam honorem contempsisse? imperatricem dignitatem
habere noluisse? matrem infanti obtemperasse? nullus
unquam nec de regina, nec de imperatrice, nec de matre
audivit. Maria tamen fuit et Regina, et Imperatrix, et
Mater, quis neget? Maria fuit regina, et alios regere
neglexit; quis non annuat? Maria fuit Imperatrix,
et imperare recusavit, quis confutet? Maria Mater
fuit, et ancillare non turpe duxit, quis abnuat?
Maria regina fuit, contempsit sceptra: Imperatrix
fuit, imperare noluit: Mater, Filio inservire voluit:
Maria honores contempsit, et regina fuit; dignitatum
illecebras, et Imperatrix fuit; in Filium Matris
potestatem demonstrare, et Mater fuit; quis non